

non posse Ordinarium Pontifice inferiorem; quia non potest ipse juri communi resistere, quod parti quæ in judicio succumbit concedit facultatem appellandi *c. 27. h. t. §. 1.* et expresse docet *Glos. in c. 27. h. t. v. 'provocationis' innixa L. 5. ff. in fin. A quibus appellare non licet.* Pariter sermo non est de appellationibus frivolis, seu frustratoriis; eas enim nullo modo esse attendendas docet *c. 53. de Appell.* Loquimur vero de appellationibus, quæ procedunt ex probabili gravamine quod aliquis ex sententia prolata a delegato patitur. Quo in casu clausula eam vim habere videtur, ut absolute non prohibeat appellationem et a fortiori querelam seu recursum ad delegantem Pontificem. Etenim in *cit. c. 53. de Appell.* traditur gravamen acceptum a sententia prolata ex delegatione in qua appellatio interdicebatur, posse per superiorem emendari; verum prohibitio appellationis effectum suspensionis in exequenda sententia impedit; idest posita præfata clausula in mandato, delegatus qui sententiam protulit, potest appellationem spernere absque periculo spolii, et propriam sententiam executioni mandare. Hæc vero dispositio locum non obtinet, si delegatus a principe cum *cit. clausula*, alteri subdeleget causam videndam; idest a sententia subdelegati potest proponi appellatio, non obstante prædicta clausula. Cujus rei ratio est, quia delegatus non potest subdelegare cum clausula *remota appellatione c. 27. h. t. §. Si vero.* Privilegium enim esse videtur solius Principis, quod Princeps delegato suo non tribuit.

33. Quibus modis cesset potestas et officium judicis delegati. — Primus modus est mors ipsius delegati; mors enim omnia solvit; nec transit ad hæredes *L. mandatum ff. mandati.* Hic vero modus cessationis locum obtinet cum delegatio fuerit facta personæ, quæque dicitur personalis *c. 42. h. t.* Secus vero tenendum est si delegatio facta fuerit officio, seu dignitati, ex. gr. Archiepiscopo Toletano, quin nomen exprimatur *c. 14. h. t.* Officium enim et dignitas perseverant in successore defuncti. Quid vero si exprimeretur simul nomen personæ et dignitas Delegati, ex. gr. Petro, Archiepiscopo Bononiensi? Dubitari potest de natura jurisdictionis commissæ. Hinc ex subjecta præsertim materia et ex adminiculis esset dignoscenda voluntas delegantis. Quod si omnibus perpensis, adhuc dubium perseveraret, potius pro personali quam pro reali pronuntiandum foret, ac proinde dicendum esset delegationem cessasse cum morte delegati. Cujus conclusionis ratio ex conceptu

juridico delegationis derivat, quæ odiosa censetur, ac proinde strictæ interpretationis.

34. Secundus modus quo jurisdictio delegata expirat est per mortem delegantis, re adhuc integra *c. 30. h. t.* Cum enim judex delegatus auctoritatem jure proprio non habeat in negotio vel in causa, sed solummodo ex mandato alterius; ejus jurisdictio censetur adhærens personæ delegantis, quoadusque delegatus suum non fecerit, idest quoadusque delegatus non fuerit constitutus verus judex in causa. Hinc re integra, demortuo delegante, cessat etiam potestas delegati; quia hic nondum fecerat suam potestatem. Cum vero negotium legitime inchoaverit judex delegatus, illud fecit suum, et per hoc constituitur verus judex in causa. Unde ministerio legis ob bonum publicum perpetuatur ejus jurisdictio usque ad negotii complementum, perinde ac si viveret delegans.

35. Quando vero res amplius non censeatur integra et negotium juridice inceptum quoad rescripta justitiæ, seu quoad negotium judiciale, de quo agitur in titulo præsentis, determinatur ex *capp. 19. et 20. h. t.* quæ capita explicavimus in tit. *De Rescrip.* et ostendimus antiquitus servatam fuisse dispositionem *c. 19.* quod est Lucii III., ut nempe res desineret esse integra per litis contestationem, deinde vero prævaluisse et vigere sententiam *c. 20.* quod est Urbani III. ut nempe edito citationis edicto res non censeatur amplius esse integra. Quod de morte delegantis dictum est, dici etiam debet de ejusdem renunciatione et depositione.

36. Tertius modus est revocatio mandati quæ fieri potest a delegante, re adhuc integra. Immo etiam re non amplius integra revocari posse jurisdictionem delegati, tuentur Doctores. Verum exceptio ponitur quoad subdelegatum. Delegatus scilicet qui subdelegavit totum negotium, vel totam causam, non potest revocare jurisdictionem statim ac subdelegatus negotium inchoaverit, idest re non integra, potest vero re integra: *c. 37. h. t. et c. 7. h. t. in 6.* Ratio est, quia delegatus universum alteri committens negotium videndum, jurisdictionem totam amittit, et quasi extraneus redditur a negotio. Quod si non totam jurisdictionem subdelegaverit delegatus, sed partem solummodo, idest aliquem articulum jurisdictionalem, poterit jurisdictionem etiam re non integra ad se revocare; quia delegatus censetur adhuc dominus causæ, et ipse est qui recipit appellationem a sententia circa articulum peculiarem

lata a subdelegato. Revocatio autem fieri debet legitimo modo, et partibus colligantibus in re judiciali est pandenda.

37. 4^o. Cessat jurisdictio delegata completo negotio vel causa finita. Censetur vero causa finita cum sententia fuerit executioni commissa, vel in statu reperiatur executionis, id est munita fuerit mandato executionis *c. 9. h. t.* Nec protrahitur jurisdictio eo quod, appellatione interposita, executio forte impeditur. Nam vi pristinae commissionis iudex delegatus non poterit causam a se definitam iterum videre; idem enim iudex eandem causam bis non videt *L. 55. ff. De re iudicata.* Præclara dispositio legis hujus est ad modum principii iudici, quod applicatur non solum iudici ordinario, sed etiam delegato. 'Iudex', ait Ictus, 'posteaquam semel dixit sententiam, iudex esse desinit. Et hoc jure utimur ut iudex qui semel vel plaris vel minoris condemnavit, amplius corrigere sententiam suam non possit. Semel enim male seu bene, functus est officio suo'. Concordat *L. 1. c. Sententiam rescindi non posse.* Ubi eadem dispositio extenditur ad successorem in officio iudicis. Nec obstat, sententiam latam fortasse esse injustam; nam iudex appellationis emendabit errorem.

38. Jurisdictio delegati etiam cessat, si delegatus post inspectas litteras decretum tulit de earundem nullitate ob vitium quo laborant. Hinc non potest deinde mutato consilio negotii sibi commissi expeditionem aggredi, sed novum requiritur mandatum. Per decretum enim delegatus functus est munere suo. Ad rem facit *c. 38. h. t.*

Quod de iudice proprie dicto exposuimus, applicari etiam debet simplici executori, qui nempe nudum ministerium habet. Hic scilicet cessat ab officio suo, facta sive valide sive invalide executione commissi ministerii. Hinc si invalida fuerit executio, alia sunt exposcendæ litteræ delegationis et aliæ obtinendæ facultates a mandante.

39. 5^o. Cessat jurisdictio delegata lapsu præfixi temporis nisi ex partium consensu jurisdictio prorogetur *c. 4. h. t.* Tempus autem decurrit a die factæ præsentationis *c. 12. de Appell.*; et prorogatio, ut valeat, debet fieri tempore utili, idest antequam penitus labatur præfixus terminus. Etenim post elapsum terminum mandatum prorsus expirat, et quemadmodum adnotat *Abbas in cit. c. 4. h. t. n. 7.* prorogari non potest quod amplius non est.

40. Potest etiam cessare delegati jurisdictio recusatione legitime proposita ob suspicionem in personam iudicis cadentem. Iudex vero suspectus non confundatur cum iudice qui revera noxius est, qui tanquam indignus removetur, sed suspectus est qui ob aliquam relationem cum causa, vel cum adversa parte dubium ingerit, an fortasse observaturus non sit justitiæ rigorem. Species iudicis suspecti in ipsis canonibus traduntur. Ex. gr. si delegatus factus fuerit dominus adversæ partis litigantis *c. 17. h. t.* — 2^o. Si delegatus sit consanguineus vel affinis vel admodum familiaris adversæ partis *c. 25. h. t.* Ex quo capite eruitur, non solum ante litis contestationem recusari posse iudicem, sed superveniente causa suspicionis, ex. gr. si factus fuerit inimicus alterutrius partis, etiam post litem contestationem posse recusari. Intimari autem iudici delegato debet recusatio *c. 12. § ult. de appell.* Secus enim legitime exercet jurisdictionem sibi commissam. Hinc si recusatio non fuerit canonicè proposita, poterit iudex delegatus absque periculo nullitatis actorum prosequi causæ cognitionem. Immo si ante recusationem delegatus a Papa subdelegaverit totam causam, hæc subdelegatio sustinetur *c. 5. h. t. in 6^o.* Diximus *totam causam*; quia per hanc subdelegationem delegatus amittit jurisdictionem. Hinc si solummodo articulum quemdam jurisdictionalem alteri commiserit, adhuc poterit ex causa suspicionis recusari, et subdelegatio cessat. Nam subdelegatio in casu tota pendet ex potestate delegati. Post recusationem vero propositam, absque partium consensu non potest causam alteri committere. Quin immo nec de consensu partium iudex delegatus poterit alium subdelegare si super revocatione legitime fuerit pronunciatum. Etenim declarata legitimitate recusationis, delegatus desinit esse iudex, omnemque amittit jurisdictionem *cit. c. 5. h. t. in 6^o.* Verum si plures fuerint delegati cum clausula 'ut si non omnes, saltem duo vel unus in causæ cognitione procedant', in hac hypothesi, si unus fuerit recusatus, ceteri poterunt negotium expedire vel causam decernere *c. 4. h. t. in 6^o.*

41. Cum adlegatur suspicio iudicis delegati, quis de ea videbit? Ordinarie quæstio de suspicione iudicis ab arbitris a partibus electis pertractatur et definitur *c. 39. h. t.* Exceptiones autem dantur ex *c. 4. h. t. in 6.* Idest 1^o. si duo dati sint iudices delegati sub forma ut si ambo interesse nequeant, alter eorum in causa procedat. 2^o. Si iudex datus sit ab Episcopo. 3^o. Si Officialis Epis-

copi recusetur. In duobus posterioribus casibus Episcopus est qui videt causam suspicionis *cit. c. 4. h. t. in 6.* In prima hypothesisi vero causa suspicionis coram conjudice non recusato proponenda et expedienda est.

42. Antequam tituli tractationem expleamus, occasione *capp. 1. et ult. h. t. in 6.* aliquid dicendum est de iudicibus qui dicuntur conservatores. Inter varia privilegia quibus a S. Sede decorabantur Ordines Regulares, universitates studiorum ac quandoque etiam Capitula, illud fuit ut peculiarem sibi iudicem assumerent qui privilegia eorum tueretur, et appellatus est iudex conservator. De iudicibus conservatoribus agit etiam Tridentinum in *c. 5. sess. 14. de Ref.* Iudices conservatores eligendi sunt in Diocesi ex cœtu iudicum synodali, et postquam fuerint electi, eorum nomina ab electoribus sunt insinuanda intra sex menses in Curia episcopali. Ita statutum est a Gregorio XV. in Const. quæ incipit '*Sanctissimus*'. Quod si vero iudices synodales non haberentur, concessum est ut possent etiam aliquam personam assumere, dummodo tamen instructa esset qualitatibus a Bonifacio VIII. in *c. Statutum XI. de Rescr. designatis.* Hujus tamen electi iudicis jurisdictionis cessat statim ac in Synodo fuerint creati iudices synodales. Ita docet *Bened. XIV. de Syn. Diœc. Lib. 4. cap. 6. n. 3.* allegans alios auctores, inter quos *Fagnanum com. ad c. 2. h. t. n. 3.*

43. Olim magnam habebant auctoritatem iudices conservatores, et a privilegiatis personis etiam quoad causas civiles eorum potestas invocabatur. Innocentius IV. vero in *c. 1. h. t. in 6.* statuit, conservatores iudices posse defendere privilegiatos a manifestis injuriis et violentiis, nec ad alia quæ iudicalem indaginem exigunt suam posse extendere potestatem. Eandem dispositionem renovavit Bonifacius VIII. in *c. ult. h. t.* sub pœna suspensionis ab officio per annum. Renovarunt insuper hanc dispositionem Pontifices posteriores *Clemens VIII. in Const. 3. Bullar. t. 3. et Gregorius XV. in Const. n. 9. Bullar. t. 3.* Et S. Congr. Conc. interrogata die 28. Julii 1657. 'an Regulares habentes conservatorem, si rei sint, in causis requirentibus iudicalem discussionem et indaginem, conveniri queant coram eodem Conservatore', resp. '*Negative sed provocandum esse ad Ordinarium loci*'. In causa autem Jannensi proposita die 20. Febr. 1723. inter Patres Soc. Jesu et Patres Carmelitas excalceatos s. Congr. respondit, conservatorem procedere posse solummodo in casibus manifestæ injuriæ et vio-

lentiæ, et quando Patres sunt rei conventi. Immo in celebri causa Angelopolitana inter Joan. Palafox Episcopum et Patres soc. Jesu proposita die 16. Aprilis 1648. confirmata ab Innocentio X. die 14. Maji. 1653. in resp. ad 1^m. et 2^m. S. Congr. respondit, non licere Regularibus conservatores eligere sive cum Ordinarius præcipit ipsis observantiam decretorum Tridentini in illis casibus, in quibus sive vi ipsius Concilii, sive Apostolicarum Constitutionum Regulares exempti subjiuntur jurisdictioni Episcopi; sive cum Ordinarius juris ordine servato procedit adversus ipsos Regulares in casibus, in quibus Regulares subjiuntur Ordinariis. Quare hisce positis exceptionibus officium conservatorum est, ut in causis manifestæ violentiæ et injuriæ efficaciter, idest etiam adhibitis censuris, possint coercere adversarios violantes jura, possessiones, privilegia Regularium *c. 1. h. t. in 6.* Cfr. *Fagnan. Com. in c. XI. h. t. et Bened. XIV. de Syn. Diœc. Lib. 4. c. 6.*

Hodiernis vero moribus auctoritas seu jurisdictionis conservatorum fere disparuit, et negotia omnia Regularium et aliorum cœtuum privilegiatorum quoad eorum privilegia ordinarie tractantur et definiuntur a ss. Congregationibus.

TITULUS XXX.

De officio Legati.

1. Legatus in genere est ille qui eligitur et mittitur cum potestate ad eminentem personam vel in aliquam provinciam ut spiritualia negotia administret. Potest mitti ut personam mittentis Pontificis, vel ut Sedem Apostolicam repræsentet. Hodie solent mitti nomine S. Sedis, ac proinde eorum jurisdictionis induit naturam ordinariæ jurisdictionis; mortuo enim Pontifice, perseverat jurisdictionis Legati.

2. Ab ipsa antiquitate Legati Apostolici in duas classes divisi sunt, ut alii mitterentur absque jurisdictione, sed ad exequendum nudum ministerium; alii autem cum jurisdictione. Primi mittebantur ad Principes laicos, ut patrocínio suo protuerentur et expedirent aliquod negotium cum Principe; et hi appellabantur Apocrisarii, seu Responsales. Etenim Romani Pontificis mandatum Principi proponebant, et Romano Pontifici Principis responsum referebant. Alii vero legati erant cum vera jurisdictione, et habebantur tamquam veri iudices Ordinarii.